



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

Valiero, Agostino

Coloniae, 1582

Locus ab effectis. Cap. XXXX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)

quam multitudinem regeneraturum, hoc ipso argumento ostendit: Nunquid, inquit, ego, qui alios parere facio, ipse non pariam? dicit Dominus: & ego, qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero? D. Paulus ad Corinthios scribens, Baptismi vim demonstrat: propterea quod non ab hominibus, sed à Christo fit.

A causa finali.

Finis est, cuius gratia omnia fiunt. Sic argumentari poterit orator: Homo ad consequendam vitam æternam est formatus; stulti igitur, qui in voluptate, in diuitijs, in honoribus beatitudinem collocant. amplificandus est hic locus, quia inde omnia peccata, omnes etiam calamitates oriuntur; quod ignoramus, ad quem finem celi & terræ Dominus in hanc lucem nos emisit; nimirum, ut ei seruientes, nobis attenderemus, & ad vitam aspiraremus æternam. Prophetæ ex hominis fine demonstrat, quibus rebus possimus ad vitam peruenire æternam; Quis ascendet, inquit, in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto eius? innocens manibus & mundo corde. Totus liber, qui Ecclesiastes dicitur, hoc potissimum ostendit, quis sit verus hominis finis, & quibus rebus illum sibi quisque comparare possit. proposita præmij & finis magnitudine, sæpè sacra litera nos ad Dei præcepta obseruanda, & res aduersas æquo animo tolerandas, hortantur. Paulus ad Romanos ita scribit: Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.

Locus ab effectis. Cap. XXXX.

EFFECTA sunt ea, quæ sunt orta de causis. horum, ut causarum, quatuor sunt genera. Quæ autem sint

E 5

singula

singularum causarum effecta, cognitis causis, intelliguntur. Ab effectis hæc est argumentandi ratio: Fides filios Dei efficit, infidelitas filios diaboli; fides igitur amanda est, & sanctis operibus comprobanda; infidelitas maxime fugienda. Voluptatem sequitur pœnitentia & infamia, temperantiæ comes est bona valetudo & existimatio; fugienda igitur voluptas, temperantia amplectenda. Ad hunc locum referuntur omnia illa argumenta & sententiæ, quæ innumerabiles sunt, in quibus Deus, ex collatis beneficijs, ingrati nos animi vitio arguit: vel ad obedientiam nos adhortatur. arguit apud Hieremiam: Nunquid, inquit, solitudo factus sum Israeli? aut terra serotina? id est, sterilis. quare ergo dicit populus meus, Recesimus, & non veniemus vltra ad te? & in Deuteronomia: Interroga, inquit, de diebus antiquis, qui fuerunt ante te. Christus saluator noster, ab effectis ostendit se esse bonum pastorem. Bonus, inquit, pastor animam suam dat pro ouibus suis. Sanctus Paulus mortem & ruborem commemorat esse peccati effectus, vbi ait: Quoniam per peccatum mors, & stipendia peccati mors, & quem fructum habuistis in ijs, in quibus nunc erubescitis? Beatus Leo Pontifex hoc loco vsus est in sermone primo de collectis, illis verbis: Multis diuinarum scripturarum testimonijs edocemur, quantum eleemosynarum meritum, & quanta sit virtus: certum est enim, vnumquemque nostrum animæ suæ benefacere, quotiès misericordia sua inopia succurrit alienæ: prompta ergo & facilis, dilectissimi, largitas esse debet, si credimus sibi vnumquemque id præstare, quod indigentibus tribuit.

Loci